

Quin & in omnibus Decretis tum Synodorum, tum Episcoporum, quibus urgetur deputatio presbyterorum qui Curam animarum in parochiis unitis subeant, etiam præcipitur, ut ex temporalibus Ecclesiarum sufficiens portio Presbyteris assignetur. Quin & Alexander III. scribens Episcopo Wigoriensi, eidem mandat, ut „ad præsentationem Monachorum nullum recipiat, nisi si (ait) tantum ei de proventibus Ecclesie coram te fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem habere. “ *Cap. 12. De Præbendis.* Canones & Decreta hanc portionis assignationem urgentia in decursu hujus tituli plura exhibenda erunt.

XXXVIII. Sicuti ergo ex incorporatione Ecclesiarum quoad spiritualia originem habent Vicarii perpetui, & Pastores primitivi, ita ex incorporatione Ecclesiarum quoad temporalia, ac præsertim quoad decimas, originem habuit portio congrua; quomodo eam vocat Pontifex in *Cap. 4. De Regularibus in 6.* quasi congruens illi cui assignatur, id est, proportionata ejus necessitatibus. Quare & subinde sufficiens dicitur; & in *Cap. 2. De Decimis in 6* vocatur portio COMPETENS; atque hinc forsan fluxit ejus nomenclatura apud Belgas notissima, scilicet, *Competentia Pastoralis*, quæ omnia diversa nomina idem significant, nimirum portionem debere esse sufficiens ut cura animarum sustineatur; uti in sequentibus dicitur.

### CAPUT II.

Quæ in taxatione Portionis congruæ attendenda.

1. Portio congrua debet esse sufficiens sustentationi Vicarii, & sustentandis oneribus Parochia.
2. Hæc sufficiens a multum dependet ab arbitrio judicis.
3. Synodus Trid. taxationem commisit judicio Ordinaris.
4. Nonnumquam determinata fuit hæc portio; sed non fuit stabilis.
5. Synodi Belgica mutationem illius indicant.
6. In Gallia frequenter circa hanc taxationem variazum.
7. Tempus & locus in hac taxatione attendi debent.
8. Pauperum numerus attendendus.
9. Item multitudo Parochianorum.
10. Copia decimarum quæ in Parochia colliguntur attendenda.
11. Non tantum Parochi, sed parochia ratio habenda.
12. Si Parochia in cura animarum requiritur plures Sacerdotes, eorum ratio habenda.
13. Id requirit Synodus Tridentina.
14. Ex mente Synodi Trid. non erit congrua, si illis Sacerdotibus non sufficiat.
15. Id conformæ Canonibus exigentibus portionem congruam.
16. In taxatione portionis congrua Sacerdotum necessariorum rationem habendam docent Canonista.
17. Potest Vicarius occasione horum Sacerdotum petere augmentum portionis.
18. An ipsi Sacerdotes possint eam per se petere?
19. Quid Parochus in hac petitione augmenti probare debeat.
20. Non judicandum ex consuetudine, nec aliquorum praxi, quot Sacerdotes requirantur.
21. Neque ex facto Prædecessorum Parochi augmentum petentis.
22. Sedulo inquirendo frequenter reperiretur in Parochiis defectus Sacerdotum.
23. Attendere debent Decimatores ne sanguis animarum ab ipsis requiratur.



I. Quantumvis Canones de hæc congrua portione loquentes, non eisdem verbis eam exprimant, in hoc tamen omnes conveniunt, quod tanta esse debeat, ut sufficere queat, ut exinde Vicarii sive Rectoris res Ecclesiarum Parochialium competentem sustentationem habere, & Episcopalia jura solvere valeant, aliaque debita onera supportare, “ uti loquitur Alexander IV. in *Cap. 2. §. 1. De Decimis in 6.* vel ut Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 13. De Reformat.* exprimit: „Tantum redigatur, quod Rectoris ac Parochia necessitati decenter sufficiat.

II. Porro cum hæc sufficientia à temporum, personarum & locorum diversitate plurimum dependeat; neque generaliter, quid sufficiat, decerni queat, sed ex plurimis factis frequenti mutationi obnoxiiis judicandum fit, necesse est, ut determinatio portionis congruæ sive competentia pastoralis, arbitrio judicis fiat; qui omnibus ritè expensis, statuatur quid hic & nunc sustentationi presbyterorum & parochia necessitati succurrenda decenter sufficiat.

III. Unde Synodus Tridentina noluit determinare portionem Vicariorum etiam perpetuorum, sed “ cum tertia partis fructuum, aut majori vel minori arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super re certa assignanda, ibidem deputandos voluit, quo animarum cura laudabiliter exerceatur. *Sess. 7. cap. 7. De Reformat.*

IV. Verum quidem est, per Synodos, Pontifices, atque etiam auctoritate Regia, subinde determinatum fuisse, quantum Vicariis Ecclesiarum Parochialium in congruam portionem assignari oporteret; nequaquam tamen hæc determinatio ita generalis & stabilis fuit, quin ob certas temporum, locorum aut personarum circumstantias judicis fas fuerit, interdum ab ea aliquantulum recedere; si viderit per determinatam portionem Parochi & Parochia necessitati decenter non satisfieri, nec sufficienter provideri, ut cura animarum laudabiliter exerceatur.

V. Hinc Synodus Mechliniensis anno 1570. taxata portione congrua seu canonica addit, *moderatione tamen Episcopi semper salva.* Et altera Synodus sub Hovio, determinata portione congrua ad 50. libras grossorum Flandriae, addit: *Nisi Episcoporum judicio Parochia ampliando aliquid amplius ultra 50 libras requireret.*

VI. Observat quoque Franciscus Pinsonius post Brodæum ad Lovetium *List. D. num. 8. §. 60.* quod “ hæc portio, jure gallico, diversam habuit taxationem. Primum enim (ait) Constitutione Caroli IX. Regis Galliarum ad 120. libras omni onere liberis reduceretur, inde ad 200. & tandem mercium pretiis excreverunt, bus, subtractis ubique vitæ subsidiis, ad 300. portionis congruæ assignatio excrevit. “ Adde Edictum an. 1686.

VII. Cum itaque portionis congruæ determinatio à judicis arbitrio plurimum dependeat; primò attendere debet judex tempus & locum.

Nec enim ambigi potest, quin portio uno tempore & loco sustentationi Parochi, & Ecclesie necessitati sufficiens esse, queat, quæ alio tempore & loco ob raritatem, & caritatem annonæ minime sufficeret.

“ Unde in Regionibus, in quibus est frumenti & vini caritas, & portio congrua in pecunia assignatur (inquit Rebuffus) magis augeri debet portio, quam in locis, ubi adest frumenti & vini abundantia. “ *De Portione cong.*

VIII. Præterea attendenda est Parochia amplitudo, nec non & Parochianorum multitudo; inter quos frequenter nec copia pauperum deest, quorum indubiè & ratio-

rationem habendam esse communiter docent Canonista ad *Cap. 12. De Præbendis*, ubi Alexander III. conqueritur de Monachis, qui Vicarios Parochialium Ecclesiarum in tantum gravant, ut *hospitalitatem* tenere non possint. nimirum respectu pauperum, uti ad citatum Capitulum advertit Glossographus dicens, ad eam teneri Clericos, *quia quidquid habent Clerici, pauperum est.*

Unde Rebuffus in citato tractatu quaerens quæ in constituenda portione congrua considerari debeant, ait *num. 71.* “ Sextò, præcipuè ratio *hospitalitatis* haberi debet; & Beneficium locus considerari, an sit frequens pauperum accessus.

IX. Legitur quod in causa *competentia* Pastoralis inter Rectorem Ecclesie Parochialis de Reves, & Abbatissam d'Annyvers Senatus Brabantia per sententiam interlocutoriam 16. Jan. 1676. injunxit Pastori, ut exhiberet numerum familiarum, & Communicantium suæ Parochia, priusquam super portione congrua pronuntiaretur.

X. In portionis hujus taxatione merito quoque attenduntur proventus ipsius Ecclesie Parochialis, quem admodum rectè notat Rebuffus *num. 69.* Si enim Parochiani magnam decimarum copiamendant, idque primariò ut succurratur eis, qui curam ipsorum in spiritualibus agunt; æquum planè est, ut hi etiam liberalius de illis participant: maxime cum decimæ, quarum hæc portio pars quædam est, jure communi ad Parochos pertineant: adeoque per liberaliorem portionis assignationem, ipsæ decimæ non nisi pro majori aliqua parte ad naturales suos Dominos quodammodo reducantur.

XI. Non tantum ipsius Vicarii perpetui ratio habenda; sed etiam ipsius Parochia: id est, ut portio congrua tanta sit, ut non tantum ipsius Vicarii necessitatibus, sed & Parochia necessitati sufficiat, uti loquitur Synodus Tridentina; vel ut dicit eadem Synodus *Cura animarum laudabiliter exerceatur.*

XII. Si ergo latitudo Parochia, aut Parochianorum numerus exigat plures Sacerdotes, ut *Cura animarum laudabiliter exerceatur*, portio congrua non tantum congruere debet necessitatibus & sustentationi ipsius Vicarii perpetui; sed & horum Presbyterorum, qui requiruntur; ut Cura animarum laudabiliter exerceatur.

XIII. Vult Synodus Tridentina *Sess. 21. cap. 4. De Reformat.* ut “ Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, in omnibus Ecclesiis Parochialibus & Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis administrandis, & cultui divino peragendo, cogant Rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum.

Si Rectori seu Parocho incumbat sibi tot Sacerdotes adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum, ea debet esse congrua portio, sive competentia, quæ oneri illi sustinendo sufficiat; id est, sufficiat tot Sacerdotibus intrentibus.

XIV. Et quomodo ex mente Synodi Tridentinae erit congrua sive sufficiens, ut cura animarum laudabiliter exerceatur, si non sufficiat tot Sacerdotibus sustentandis, quot requiruntur ad Sacramenta exhibenda, aut cultum Divinum celebrandum; cum cura animarum præcipuè consistat in convenienti & debita administratione Sacramentorum; & ut ad ea suscipienda populus convenienter instruat, & disponatur; quod sine pluribus Sacerdotibus frequenter in una Parochia fieri nequit.

Ad hæc dum Ecclesia adeò sollicitè inculcat, ut ex decimis, proventibusque Parochialium Ecclesiarum incorporatarum ante omnia detur congrua portio Vicari-

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

riis, qui curam Ecclesiarum sustinent, quid, quæso, aliud intendit, quam providere, ne per Ecclesiarum Parochialium incorporationem, defectu temporalium, animarum cura negligatur; desintque presbyteri, qui Parochianis spiritualia ministrare sufficiant? Igitur ex mente Ecclesie incorporantis Ecclesiarum parochialium proventus est, ut ex illis portio assignetur quæ non tantum uni Parocho aut Vicario sit sufficiens, sed tot presbyteris sufficiat, quot ad animarum curam laudabiliter exercendam, & parochianis spiritualia administranda sunt necessarii.

XV. Itaque in taxatione congruæ portionis indubiè attendi debet, num ipse Vicarius perpetuus sive Parochus indigeat uno aut pluribus Sacerdotibus, qui secum laborent, ut *Cura animarum* in illa Parochia laudabiliter exerceri queat.

XVI. Unde Rebuffus inquirens, quæ in hac taxatione attendi debeant, ait *num. 61.* “ Si Vicarius uno indigeret Sacerdote vel pluribus propter Ecclesie accessorias, quas *succursus* vocant, tunc rationem illorum judex habere debet; & omnino numerus personarum necessarium considerari in portione congrua fore. “ Et supra citatum Edictum Regium de anno 1686. expressè vult haberi rationem in constituenda portione congrua, Vice-pastoris, aut Vice-Pastorum, qui Vicario perpetuo judicabuntur necessarii, ut cura animarum laudabiliter exerceatur.

XVII. Potest ergo Parochus sive Vicarius perpetuus petere augmentum portionis congruæ, tamen hæc quam habet, sibi quidem sufficiat, sed nequaquam sufficiens sit Presbyteris, quos sibi in administrandis Sacramentis & cultu divino celebrando, ob multitudinem parochianorum, aut latitudinem parochia adjungere debet.

Cum enim ipsi principaliter & immediatè cura animarum totius Parochia incumbat, ac propterea ipsius sit, Presbyteros sibi adjungere, qui ad curam animarum debite & laudabiliter exercendam requiruntur, etiam ad ipsum præcipuè spectat portionem congruam petere, quæ parochia necessitati satisfieri queat.

XVIII. Hinc judicatum refert Joannes Tournet litt. p. *Capite 119.* Parochum teneri Ecclesie succursali assignare Presbyterum, qui illi deserviat; sed Decimatores illi Presbytero nequaquam ad portionem congruam teneri; neque Presbytero jus esse eam petendi, at eam soli Vicario perpetuo sive Parocho assignandam, qui eam Presbytero seu Capellano communicet, sive distribuatur; Si tamen ipse Vicarius vel in adjungendis Presbyteris, vel in assignanda aut petenda ipsi congrua portione esset negligens, possent Episcopi, vel parochiani aut etiam Presbyteri ipsi, eo casu ejus negligentiam supplere, uti infra latius exponetur.

XIX. Parochus postulans portionis congruæ augmentum, ut plures sibi Presbyteros adjungere queat, hoc unum ostendere debet, quod in Ecclesia sibi concredita, populus ita numerosus sit, ut nec ipse nec hi, qui modò ipsi adjuncti sunt, sufficere possint Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo; tamen si forsan ejus prædecessores vel soli vel cum uno alterove adjuncto Presbytero curam animarum sustinerent.

XX. Certum quippe est, nec à lapsu temporis, nec horum illorumve praxi dependere, neque ex hac judicandum, quot Presbyteri ad debite Sacramenta Ecclesiastica administranda, & cultum Divinum peragendum requirantur; sed id judicandum esse juxta Regulas Evangelicas, & Ecclesiasticas, quæ non ad hominum praxim, quæ in cura animarum frequenter leviter & perfunctoriè nimis procedit, sed ad notam veritatis de labore & difficultate indebite ministrandis Sacramentis & Fidelibus ad ea ritè susci-

Zzz 3



fufcipienda diſponendis judicant, & procedi vo-  
lunt.  
XXI. rarum quoque refert, num forſan prædeſſo-  
res, nomen boni paſtoris in vulgò habuerint. Scitur e-  
nim, quàm vulgi judicium in dijudicando num quis  
bonus fit paſtor, vel malus, cæcùm fit; quàmque multis  
dici poſſet, quod Angelo Eccleſiæ Sardis dicit Spiritus S.  
in libro Apoc. cap. 3. quia nomen habet quod vivus, &  
mortuus es.

XXII. Quin & ſi ſedulò inquireretur in parochiis illis  
numerofis, quarum ſolus paſtor, vel cum uno alterove  
Presbytero curam ſuſtinuit, non rarò ſummus defectus  
inſtructionis in populo, & in fuſcipiendis Sacramentis  
exigua diſpoſitione deprehenderetur; adeò ut ad ocu-  
lum pateret, quàm leve & parum fundatum ſit argu-  
mentum, à praxi Paſtorum, quos vulgus etiam pro bonis  
habuit, petitur.

XXIII. Optandum fanè ut Abbates, Canonici alique  
ſimiles Decimatores ſæpius ſecum attentè numinarent,  
quàm multa requirantur, ut rudis populus ritè circa  
mysteria Religionis, & vitam verè chriſtianam inſtrua-  
tur, & ad Sacramenta ritè fuſcipienda rectè diſponatur;  
atque à vitii retrahi, & in virtutum exercitiis confir-  
mari valeat; indubiè facile agnoſcerent, quàm frequen-  
ter in parochiis ſit operantium defectus; neque per u-  
num alterumve Sacerdotem in numerofis Parochiis Cu-  
ra animarum laudabiliter exerceri queat; meritoque ti-  
merent, ne ſanguis animarum ab illis ſit requirendus, ſi  
defectu portione congrua, copia Sacerdotum animabus  
illis regendis neceſſariorum defuerit,

CAPUT III.

Unde Portio Congrua deſumenda?

1. Ex proventibus Eccleſiarum Parochialium eam Ca-  
nonice ſumi volunt.
2. Probat id clauſula unionibus adjici ſolita.
3. Unde eam ſumi voluerit Synodus Tridentina?
4. Primo loco vult Eccleſiis Parochialibus provideri per  
Beneficiorum unionem.
5. Synodus Mechlinienſis etiam per unionem Parochia-  
lium, & conceſſionem Deſerviturarum.
6. Id tantum per provisionem permittiſit.
7. Non ſunt unienda paſſim Eccleſiæ Parochiales ut de-  
cimatores à danda portione congrua abſolvantur.
8. Quid in unione Beneficiorum cavendum?
9. Poſt beneficiorum unionem recurrentum ad primi-  
tias; & quare priùs ad has, quàm ad Decimas.
10. Oblationes potiùs quàm Decima in portionem con-  
gruam cedere debent.
11. Primitias & oblationibus deficientibus ad decimas  
recurrentum.
12. Non omnes decima eodem Ordine huic oneri ſubje-  
ctæ.
13. Decimis deficientibus ad Parochianorum collectas re-  
currunt vult Synodus Trid.
14. Non niſi iis deficientibus ad eas recurrunt vult Edi-  
ctum ad Synodum Cameracenſem.
15. Idem declarat Edictum ad Synodum Mechlinien-  
ſem.
16. Oſtenditur iuſtitia iſtius Ordinis.
17. Injuſtum eſt portionem congruam deſumi ex proven-  
tibus fabricæ aut pauperum, decimis ſufficienti-  
bus.
18. Neque hanc injuſtitiã lapſus temporis purgare po-  
teſt.
19. Collecta populo hic in Belgio ſine auctoritate Regiæ  
imponi non poſſunt.

I. Anones de portione congrua lo-  
quentes, eam ex proventibus Eccle-  
ſiarum parochialium deſumi  
præcipiunt; ſive volunt, ut tan-  
tùm de his proventibus relinqua-  
tur Vicario, unde ipſe commodè  
ſuſtentari, & debita onera poſſit  
ſupportare.

II. Quare & in unionibus ſive incorporationibus Ec-  
cleſiarum parochialium ſolet adjici hæc clauſula: “Re-  
ſervata tamen de fructibus, redditibus, & proventibus,  
juribus, obventionibus pro Vicario perpetuo in iis in-  
ſtituendo congruà portione, ex qua idem Vicarius  
commodè ſuſtentari valeat, jura Episcopalia ſolvere,  
& alia ſibi incumbenti onera ſupportare. “ Rebuſ-  
ſus in praxi Benef. ad Regulam Cancell. De Unionibus  
gloſſ. II. n. 16.

III. Synodus Tridentina videns pleraſque Eccleſias  
parochiales, neceſſariis Miniſtris deſtitutas defectu me-  
diorum temporalium, quæ per incorporationem paſſim  
ad Monasteria & Capitula tranſiverant, volens ut omni  
meliori modo ſine mora Eccleſiis illis parochialibus  
provideretur voluit: “In parochialibus Eccleſiis, qua-  
rum fructus adeò exigui ſunt, ut debitum nequeant  
oneribus ſatiſfacere, curabit Episcopopus ſi per benefi-  
ciorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non  
poſſit, ut primitiarum vel decimarum assignatione,  
aut per parochianorum ſymbola ac collectas, aut quâ  
commodiori ei videbitur ratione, tantùm redigatur,  
quod pro Rectoris ac parochiæ neceſſitate decenter  
ſufficiat.

IV. Juxta tenorem hujus Decreti, apparet, Eccleſiis  
parochialibus tenuibus, & non ſufficientibus, ut oneri-  
bus debitum ſatiſfiat, primo loco providendum eſſe per  
unionem beneficiorum; & non niſi in defectum horum  
recurrendum eſſe ad alia media in decreto expreſſa.

Idiſpum & Zypæus notavit Conſult. 4. De Parochiis,  
dicitque: “primus modus Rectoribus parochiarum  
providendi eſt, per beneficiorum unionem; cui ſi lo-  
cus non ſit, ſuccedunt alii à Concilio relati; aut quæ  
commodiori ratio Ordinario videtur. Non autem aliis  
locus eſt, quam ſi per beneficiorum unionem id fieri  
non poſſit, etiam in alia Eccleſia fundatorum, ut ſatis  
textus; præſertim excipiendo Curata & Regularia.

V. Synodus II. P. Mechlinienſis tit. 17 cap. 3. per-  
mittit Episcopis Eccleſiis parochialibus de portione  
congrua providere, non tantum per unionem benefi-  
ciorum ſimplicium, ſed etiam per unionem vicinarum  
& minorum Eccleſiarum, vel per conceſſionem deſer-  
viturarum.

VI. Verùm ſat inſinuat Synodus, dumtaxat eam Ec-  
cleſiarum vicinarum & minorum Eccleſiarum unionem,  
nec non conceſſionem deſerviturarum admitti ob  
temporum illorum duritiem; & quouſque commodior  
ratio providendi haberi nequit.

Postquam enim eam providendi rationem propo-  
ſuit, immediatè adjungit: “Et aliàs propter idoneo-  
rum Sacerdotum raritatem per modum provisionis pro-  
videre.

VII. Unde nullatenus ex mente Synodi videtur, ut  
Episcopis per ſimiles uniones & conceſſiones Eccleſia-  
rum & deſerviturarum Eccleſiis parochialibus provi-  
deant, ut ſe vel alios Decimarum poſſeſſores à danda  
competentia eximant; & interim Parochos ita per uni-  
tas Eccleſias vel conceſſas deſervituras gravent, ut cur-  
ram parochiæ negligere debeant; aut ſaltem functioni-  
bus paſtoralibus plenè ſatiſfacere & ſedulò incumbere  
in ſua parochia nequeant.

VIII. Imò in quorundamque beneficiorum unionem  
cavendum eſt, ne tot taliaque beneficia in competen-  
tiam Parochorum uniantur, ut Parochus illorum oneri-  
bus

bus ſatiſfacere nequeat, ſaltem ſine notabili in cura  
ſuæ Parochiæ, & functionibus Paſtoralibus impedi-  
mento: quòd faciliter contingit, ſi extra Eccleſiam Pa-  
rochiale beneficia fundata ſint; & in locis à Parochiali  
Eccleſia remotis onera beneficiorum illis annexa exſolve-  
re debeat.

IX. Si per beneficiorum unionem ſufficienter & com-  
modè Eccleſiis Parochialibus provideri nequeat, vult  
tutum Synodus, ut primitiarum aut decimarum assigna-  
tione provideatur.

Primitias ante decimas excutiendas eſſe, videtur or-  
do verborum inſinuarè; qui in eo fundatur, ait Zypæus  
citata Conſultatione num. 4. “ quod primitiæ ut pote  
oblationes arbitrio Fidelium relictæ, magis propria ſunt  
Parochorum jura; & ad ſolum Paſtorem pertinent ad  
jure; adeo quidem ut etſi decimas laici ante Conci-  
lium Lateranenſe poſſeſſas retinere permittantur, non  
tamen oblationes. Unde etſi ubique decimas, nullibi  
tamen oblationes penes laicos videmus.

X. Itaque ſi oblationes alteri quàm Parochos compe-  
tant, priùs ratione harum oblationum ad congruam  
portionem is tenetur, quàm Decimarum Poſſeſſor; ac  
priùs oblationes Parochos vindicandæ: quæ ſi non ſuffi-  
ciant, tum demum ad Decimas recurrentum. Hoc verò  
intelligendum de oblationibus, quæ ex ſolo privilegio  
aut præſcriptione ad Paſtores v. g. Primitivos tranſi-  
runt; & quæ ſecluſo privilegio aut præſcriptione ex vo-  
luntate offerentium & jure communi ad Parochos ſpe-  
ctant; qualia eſſe ſolent ea quæ in Deſunctorum in-  
humationibus offerri ſive donari ſolent; ſecus verò de  
oblationibus, quæ ex voluntate offerentium in alium  
pium uſum offeruntur. Hæ enim nullatenus in Parochos  
competentiam convertendæ ſunt.

XI. Primitias vel etiam oblationibus excuſſis, ad de-  
cimas recurrentum eſſe, textus Synodi Tridentinæ in-  
dicat.

Speciem decimarum hic non expreſſit Synodus; ſed  
indefinitè decimarum mentionem tantùm fecit. Et fanè  
cum decimæ principaliter & primitivè ſint inſtituæ in  
ſuſtentionem Sacerdotum qui populo ſpiritualia ſer-  
vant; ideoque de jure ad Parochos pertinent (uti  
ſæpiùs titulo præcedenti notatum eſt) nihil juſtius,  
quàm ex illis ſaltem congruam portionem Parochorum  
deſumi; ſive eatenus ſaltem Parochis reſervari, ut ex iis  
habeant competentem & congruam portionem, quò  
ſuis neceſſitatibus providere & debita onera ſupportare  
queant.

XII. Licet omnes decimæ intra limites Parochiæ ex-  
creſcentes huic portioni congruæ merito ſubſcijantur,  
tamen quia inter decimas aliæ præ aliis ſpecialiori titulo  
Parochis competunt, ſeu potiùs reſervatæ ſunt, (uti ti-  
tulo præcedenti oſtenſum eſt) & aliæ cum ſpeciali onere  
aſſignandæ portioni congruæ donatæ aut conceſſæ  
fuerunt, ideo etiam aliæ præ aliis huic oneri ſunt ſubje-  
ctæ; & earum poſſeſſores ante alios ad hanc congruam  
portionem ſolvendam tenentur, ut latiùs dicetur capite  
ſequenti.

XIII. Decimis intra fines Parochiæ haud ſufficienti-  
bus, ad Parochianorum ſymbola ac collectas recurrere poſ-  
ſe, indicat Synodus Tridentina.

His locum non eſſe, niſi primitiis & decimis deficien-  
tibus, evincit ipſe verborum contextus & ordo.

XIV. Hunc ordinem ſignificant quoque Principum  
Edicta, tum ad Synodum Cameracenſem, tum Syno-  
dum Mechlinienſem. Philippus II, in Edictò ad Ceme-  
racenſem Synodum art. 11. vult, ut excuſſis duobus  
prioribus mediis conficiendi congruam portionem à  
Synodo ſuggenti, Magiſtratus aſſiſtant Episcopis ut re-  
petiatur quòd portioni congruæ deeſſe apparebit. Ver-  
ba Edicti ſunt: *Et pour ce qu'en pluſieurs lieux les Curés  
ſont petitement prouveus & n'eſt poſſible, ſignament es  
Van Eſpen Jur. Eccl. P. II.*

elles, les prouveur de portion canonique par assignation  
des dîmes, ou union des simples benefices, ains est ne-  
cessaire venir à la troisieme voie ordonnée par le ſainct  
Concil de Trente, ſavoir des collectes sur les Paro-  
chians, laquelle collecte ne ſe pouvant pratiquer ſans  
noſtre auctorité, & conſentement. Ordonnons à tous  
Magiſtrats, & gens de loy, qu'ils ayent à aſſiſter les  
Eveſques à trouver ce què de fauldra pour l'entretene-  
ment deſdicts Paſteurs la ou ne leur pourra eſtre ſuffiſa-  
ment prouveu par les deux premières voyes ordonnés par  
le dict Concil de Trente, juſques aux ſommes adviſées  
par ceſte Synode Metropolitanne, leſquels Magiſtrats  
ſeront l'aſſiſte de ce qu'iceux Eveſques auront déclaré  
daſailir, aux deux premières voyes, pour trouver la  
ſuſtention leſdicts Curez. Id eſt. Et quia pluribus lo-  
cis parochis parce provilum eſt, nec fieri poteſt ut de  
portione Canonica assignando decimas, aut uniendo  
Beneficia ſimplicia, ipſis, præſertim commorantibus in  
Oppidis, proſpiciatur; verum neceſſe eſt iniri viam ter-  
tiam ſtatutam per Concilium Tridentinum; videlicet  
ut per Parochias collectæ inſtituantur, quæ cum ſine au-  
thoritate noſtra & aſſenſu corrogari non poſſint; Ma-  
giſtratibus ſingulis utique qui præſunt inſungimus, ut  
Episcoporum ſint adjutores, in ſinem ut ſuppleatur  
quod deeit ſuſtentioni dictorum Paſtorum, quibus  
ſufficienter provideri non poterit, altero ex prioribus  
modis per Concilium Tridentinum aſſignatis, idque ul-  
que ad acquisitionem ſummæ, per hanc Synodum Me-  
tropolitanam conſtituræ, qui Magiſtratus deſcriptionem  
facient eorum quæ duobus prioribus modis deeſſe  
Episcopos judicaverint, ut dictorum Parochorum ſuſten-  
tationi provideatur.

XV. In Edictò ad Synodum Mechlinienſem art. 16.  
dicunt Principes: “ Ut ſi per media à Concilio Tri-  
dentino ſuggenti Parochialibus Eccleſiis ſufficienter  
provideri nequeat, Concilia Regia & Magiſtratus co-  
nabuntur per impositiones, collectas aut aliàs inveni-  
re, quæ Episcopos judicabunt deeſſe ad congruam Pa-  
rochorum ſuſtentionem.

XVI. Nihil evidentius, quàm Principes, ad colle-  
ctas & impositiones Parochianorum tum demum con-  
cedere recurſum, quando primitiis & decimis excuſ-  
ſis, portio congrua haberi nequit; idque revera juſtiſ-  
ſima ratione.

Cum enim primitiæ, ſive oblationes & decimæ à  
populo ſolvantur, ut miniſtri Altaris ſuſtineantur; at-  
que laborantibus in Vineâ Domini, & ſibi ſpiritualia  
ſeminantibus, temporalia ſubminiſtrentur, quid æquius  
& juſtius, ut illæ priùs impendantur in ſuſtentionem  
Miniſtrorum, priuſquam rurſus nova onera populo im-  
ponantur.

XVII. Si juſtum non ſit, ut ad portionem congruam  
urgeantur per novam onerum impositionem Pa-  
rochiani, quamdiu decimæ ſufficiant, intelligi po-  
teſt, quanta ſit injuſtitia quod in nonnullis Parochiis  
portio congrua vel Paſtorum vel Vice-paſtorum deſu-  
matur ex proventibus ſpecialiter in uſum fabricæ aut  
pauperum deſtinatis & debitum. Quæ fabricæ & pau-  
peribus ſui proventus ſubtrahi poſſint & debeant, ut  
major copia decimarum, quæ in Paſtorum ſuſtenta-  
tationem dantur, ad monasteria & Capitula devolvantur;  
& ex iis Monachi & Canonici commodius vivere  
valeant.

XVIII. Imò tam manifeſtè apparet hujusmodi ap-  
plicatio proventuum fabricæ vel pauperum injuſta &  
infidelis, ut nec lapſu temporis, quantum vis immemo-  
rialis juſtificari poſſe videatur; ideoque ſi probetur, re-  
vera proventus illos eſſe relictos in uſum fabricæ aut  
pauperum, merito ad ſuos legitimos ulus reducuntur; &  
Decimatores ad portionem congruam convenientur &  
condemnantur.